

*non est omnium*, eo non significat, non omnes posse credere, sed non omnes velle credere, imò esse quosdam aded *ἀτόπῳς ἢ πόνηρος*, ut prorsus inepti sint ad credendum, adeoq; ut velint non credere habitu scilicet & consuetudine incredulitatis obsessi. Quare cum Remonstrantes dicunt, *Fidem esse in omnium potestate*, non id volunt, quasi omnibus & singulis omni tempore facile ac proclive sit credere & ex fide obedire Deo, quando tantum volunt: Absit; Sed hoc tantum volunt, Per Deum ac divinam bonitatem & clementiam non stare, quo minus ij, qui primitus ad fidem vocantur, possint Deo vocanti credere ac parere. Potentiam etiam ad credendum homini nunquam prorsus negari nec penitus adimi à Deo, sed quæcunq; homini accidit impotētia, eam à voluntate hominis sola provenire, eamq; non tam physicam quam moralem esse impotentiam, quæ ex diuturna obstinatione & consuetudine tergiversandi nascitur, unde homo aded ineptus ad credendum, adeoq; alienus à credendo redditur, ut impotenti similis fiat. Nisi hoc dicatur, nec præceptionis divinæ, qua Deus tales obedire ac credere præcipit, nec punitionis divinæ, qua tales non credentes gravius multò punit, ratio constare potest.

Ad loca duo ex Joha. vij. 17, & ex Joa. iij. 19. 20. nihil excipit Censor nisi hoc, *Si de fide absolute intelligant, sequetur id absurdum, homines facere veritatem sine cognitione veritatis, & in luce, aut ut lucis filios ambulare qui ad lucem nondum venerunt, aut lux in Domino non sunt.* Quasi verò nesciat Censor, de qua fide Remonstrantes hic loquantur. Titulum tantum capituli vide, & de fide in Jesum Christum eos hic agere manifestum erit. *Facere itaq; veritatem*, non est facere id, quod Evangelium aut Christus in Evangelio fieri jubet, sed, phrasi hebræa, facere id, quod bonum & rectum est, sive quod ratio recta vel lege naturæ, vel lege Mosis, vel alia aliqua seu traditione seu doctrina informata, verum, id est, honestum esse dicat: opponitur enim *τὸ mala facere*. Alibi Scriptura id vocat *Quærere Deum aut Dominum*, Act. xvij. 27. *Fecit (Deus) ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terra, definitis statim temporibus, & positis terminis habitationis eorum, ut quærerent Dominum, si forte palpando eum invenirent.* Alibi vocat id, *facere justitiam, & Deum timere*, Act. x. 35. *In quavis gente acceptus est Deo quivis, qui eum timet, & operatur justitiam*, Alibi vocat id *ἐὐσεβῆν εἶναι*, alibi aliter. Videtur hæc agnoscere etiam Censor, ac propterea statuere fidem aliquam in iis præsupponi, de quibus affirmatur, quod faci-

Quid sibi velint Remonstrantes, cum dicunt Fidem esse in omnium potestate.

Quid sit facere veritatem in locis Joa. vij. 17. & Joa. iij. 19. 20

H h

ant